

18

Pr. 13. num. 3.

234.

1744
96. 20

DISSERTATIO IVRIDICA

DE.

DOLI INCIDENTIS ET CAVSSAM
DANTIS IN CONTRACTIBVS
EFFECTV

QVAM

PRAESIDE

J. V. D.

DANIELE NETTELBLADT

ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIT

AVCTOR

IOAN. HARTW. REVTER

MEGAPOLITANVS.

AD DIEM IVN. MDCCXLIV.

HALAE MAGDEBVRGICAE

TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.



PERILLASTRIS

VIRO

PERILLVSTRI ATOVE GENEROSISSIMO

IOANNI VLRICO DE CRAMER

SACRAE CAESAREAE MAIESTATIS CONSILIARIO
SENATVS AVLICI IMPERIALIS
ACTVALI.

VIR PERILLVSTRIS,

VIR

IOANNI VIRIO

GRAMBER

Si ad principium suum, fontemque, vn-
de dimanarunt, tendere omnia, nisiue
nescio quo et impetu ferri non abs re
adfirmauere veteres: mirum sane TIBI,
VIR PERILLVSTRIS, viderinon pot-
est, me eo vsque audaciae esse progres-
sum, vt nomen TVVM PERILLV-
STRE frontispicio huius opellae inscri-
bere dubitauerim nullus. Etenim nisi qui,
quid in orbe litterario agatur, ignorat
cum ignarissimis, fugiet neminem, TE
pri-

primum exstitisse auctorem, qui de sacris
Themidos oraculis in ordinem natura-
lem redigendis non cogitauit solum, sed
etiam quod cogitauerat, menteque com-
plexus erat sagacissima, editis specimini-
bus ad aeternitatem victuris, re ipsa pree-
ststit. Quum igitur, quod ingenue fate-
or, et fateri honori mihi duco maximo,
TE, vtut absentem, in scriptis tamen
praesentem principem meum in iuris sci-
entia praceptorum veneror, TVISque,
quoad eius per imbecillitatem meam fieri
potuit, insistens vestigiis, hoc, quicquid
est, speciminiis academicis exaraui: aequi-
tas sane ipsa a me mihi exigere visa est,
vt meas hasce iuris studii primitias TIBI
iuberem esse sacras, cui, si quid solidum
nec atro notandum carbone in medium
protuli, debeo id ad vnum omne. Adcipe
igitur, qua soles, quae a cultoribus TIBI
addictissimis excipere soles, omnia, hoc
est

est serena fronte, hanc quam TIBI sole-
mni illa formula do dico dedico disserta-
tiunculam. Si qua in re alucinatus fvero,
tenuitati illud des virium mearum, hoc
que persuasum TIBI habeas, semper
fore totum in TE colendo

VIR PERILLVSTRIS

NOMINIS TVI

cultorem devotissimum

IO. HARTW. REVTER.



§. I.

Dolus appellatur defectus a rectitudine actionum quoad facultatem adipetitiam superiorem. Facultatem autem adipetitiam superiorem quum voluntas et noluntas constituant; Defectus iste a rectitudine actionum quoad voluntatem vel noluntatem concipitur. Qui dolum committit dicitur *decipiens*: Deceptus vero in quem committitur.

Hancce dolis definitionem omnibus numeris, quod aiunt absolutam adeptam ferimus *Perillufr. wolffio in Part. 1. pbls. præct. vniuers. §. 701.* Nec ante eum quisquam, si satis meminerim, accuratam omnesque dolis affectiones ita exhaustientem suppeditauit: Quum JCri plerique eam adoptent definitionem, quam LABEONEM dedisse VLPIANVS refert *L. 1. §. 2. de dolo malo: dolum malum scilicet esse, omnem calliditatem, fallaciam, macinationem ad circumveniendum, fallendum decipiendum alterum adhibitat.* Praeter alia, quae hic recensere possem, nec eius vitii expers est definitio modo recensita, quod loco differentiae specificae nullum proferat characterem distinctiuum seu notam dolis characteristicam, sed ipsum definitum in definitione termini, dolis ingredientis definitionem adhiben-

8 *Dissertatio Iuridica*

adhibendum sit necessario. Quid enim est circumuenire et decipere aliquem, nisi dolum committere? id, quod Logici circulum in definiendo vocant vitiosum, quem cane peius ac angue adcuratioribus fugiendum esse arbitror. Neque in ista definitione dolus in omni sua latitudine sumitur, quum neque dolo, quem veteres dixerent, bono; neque dolo videtur conuenire manifesto. Dolus enim manifestus absque calliditate, fallacia, atque machinatione, quippe quibus aliqua semper inept simulatio, concipitur. Ut adeo definitionem suo definito longe angustiorem esse sic satis confiteremus. Quum autem deinde ostensurus sim, dolum causam dantem totum contractum, dolum vero incidentem, eatenus tantum, quatenus sepe in contractu extendit, nullum reddere etiam secundum ius naturale, in hoc autem nullam adferre fas est notionem, nisi a rebus existentibus abstractam; id utique mihi erit agendum, ut ostendam, quomodo hacc doli definitio adstructa in casu quodam singulari contingat. Iam itaque quum egregium aliquod doli exemplum apud CICERONEM in lib. 3. c. 14 de officiis exsterit, integrum illud hunc transcribi consulunt viderur omnino: CAIUS CANIVS eques Romanus, homo nec infacetus, et satis literatus, quum se Syracusas otiani causa non negotiandi, ut ipse dicere solebat, consuluisse, dictabat se hortulos velle emere, quo inuitare amicos et ubi se oblectare sine interpellatoribus posset: quod cum percrebuerit, PYTHIVS ei quidam, qui argentariam faceret Syracusis dixit: venales quidem se hortos non habere, sed licere vti CANIV, si vellet, vt suis: et simul ad coenam hominem in hortos inuitauit in posterum diem. Quum ille promisisset, tum PYTHIVS ut argentarius, qui esset apud omnes ordines gratiosus, pescatores ad se vocauit, et ab his perieuit, ut ante suos hortulos postera die pescarentur: dixitque quid eos facere vellet. Ad coenam tempore venit CANIVS: opipare paratum erat coniuivium: cymbarum

barum ante oculos multitudo; pro se quisque, quod coperat, adferebat: ante pedes Pythii pisces adiciebantur. Tunc Canius: quaeſo, inquit, quid eſt Pythi, tantumne píſcum, tantumne cymbarum? Et ille, quid mirum? inquit, hoc loco eſt, Syracusis quicquid eſt píſcum; hic aquatio; hac villa iſti carere non poſſunt. Incensus Canius cupiditate, contendit a Pythio, ut venderet. Grauate ille primo. Quid multa? impetrat, emit homo cupidus & locuples tanti, quanti Pythius voluit, & emit inſtructos; nomina facit, negotiorum conficit. Inuitat Canius poſtera die familiareſ ſuos. Venit ipſe mature. Scalmum nullum videt. Quaerit ex proximo vicino, num feriae quaedam píſcatorum eſſent, quod eos nullos videret. Nullæ, quod ſciām, inquit ille, ſed hic píſcari nulli ſolent. &c. In hoc exemplo actionem Pythii a reſtitutidine deficere in aprico eſt: atque adeo genus definitionis defectus ſcilicet reſtitutidine actionis in hoc caſu deprehendi potest. Quod ad differentiam eius ſpecificam adineret, ad id praefertim vo-lo adtendi, quod, quum Pythius ſciuerit, actionem ſuam a reſtitutidine deficere, illi neutriquam defectus reſtitutinidis actionis quoad facultatem cognoscitivam tribuendus fit. Sed quum nihilominus actionem minus reſtam ſuſcepert, a voluntate ipsius ſolum pendebat, ut ſub ſititatis ac ſpeciosis bonorum representationibus Canium dolose induceret ad emendos hortulos. Aetio igitur eius non deficit a reſtitutidine, niſi quoad voluntatem & noluntatem. Defectus enim a reſtitutidine quoad voluntatem & noluntatem tum obtinet, cum voluntas idem decernat, quod intellectus tanquam in ſe malum, repreſentat, adeoque quando voluntas actionem minus reſtam decernit, quaeſ intellectus minus reſtam vtique adgnoscit. Similiter fi ſcelestus quidam ſicarius animo occidi alterum adgrediatur, eumque interficiat, dolofe is fine dubio homicidium patralle dicitur. Non aliam ſane ob cauſam, quam quod homicida ſciens volensque crimen commiſſerit, ſciens ſcilicet; dum norit

B

fibi

Dissertatio Juridica

sibi nullam esse ius alterum interficiendi, sed se potius obli-
gatum esse ad hanc omittendam actionem, consequen-
ter in facultate eius cognoscitua quoad restitutinem
nihil omnino desiderari potest; volens vero, quod,
licet prauitatem actionis suae habeat perspectam, nihilominus
tamen eam voluerit atque decreuerit. Ex hoc igitur
casu manifestum est, dolum inuoluere defectum a rectitu-
dine actionis quoad facultatem adpetitiam superiorem.
Utque adeo ex hac parte definitionis satis manifesta sit
perfectio.

§. II.

Quum actio dolosa quoad voluntatem et nolunta-
tem tantum a rectitudine deficiat, non vero quoad intel-
lectum (§. I.); *actio dolosa committitur a sciente atque
volente.*

Sic poetae, qui pro mercede miseros versus dolose
pangit, quoniam eum, pro quo carmen fundit, indicare
non posse putat, utrum bonum carmen sit nec ne: utique
eam ob causam actionis suac minus rectae tribuitur scien-
tia, quia dolum commisit. Atque adeo scientia, actionem
a rectitudine deflectere tamque suscipiendo voluntas a dolo
non potest abesse. Quapropter & juris interpretes haec
tanquam doli necessaria requiata adgnoscunt, ideoque ad-
firmant, dolum esse probandum ex eo, quod scientiam at
que animum laedendi habuerit decipiens.

§. III.

*Ius civile eandem cum dolo in genere definito no-
tionem iungit, quam cum eo coniunxi.* Dolum supra
§. I. dixi esse defectum a rectitudine actionis quoad vo-
luntatem et noluntatem. Genus itaque, quod definitio-
nem doli ingreditur, constituit defectus a rectitudine a-
ctionum; differentiam vero specificam determinatio ex-
hibet

hibet quoad voluntatem et voluntatem. Ad genus quod attinet, de eo nemini ut dubium exoriatur fore arbitror, quin notio doli in iure ciuili adhibitae congruat atque conueniat. Actiones enim rectae secundum ius ciuile eidem conuenient atque consentiunt, actiones vero dolosae eidem non conuenient: quod ex innumeris constat legibus: atque adeo actiones dolosae non sunt rectae: per consequens in dolo ponitur defectus a rectitudine actionum. Manifestum igitur satis est, defectum a rectitudine significatiui doli in iure recepto tanquam genus conuenire. Quod autem hic rectitudinis defectus in dolo ad voluntatem referatur, in iure ciuili, itidem ex legibus satis manifesto adparet. Ita enim in *L. 1. C. ad l. Cornel. de Sicariis* dicitur: *cri-
men enim contrahitur, si et voluntas nocendi interce-
dat.* Dolum hic intelligi ecquis negare ausit? Porro in *l. 44. Mond. verba:* *dolus est si quis nolit perseguiri,* quod persecui potest satis produnt, quod defectus actionis a rectitudine ad voluntatem vel noluntatem referatur. In *l. 14. ad l. Corn. de Sicariis* legitur: *DIVVS HA-
DRIANVS in haec verba rescripsit: in maleficiis volun-
tas spectatur non exitus.* Quin hic DIVVS HADRIANVS dolum intellexerit, nullus ego dubito. In *l. 11. §. 2. de
poenit.* MARCIANVS refert: *quod delinquatur aut proposi-
to, aut impetu, aut casu.* Propositum hic non potest non denotare dolum, quod quoque ex adlato in seq. exemplo haud obscure configere licet. Quum igitur propositum sit actus quidam voluntatis; et ex hac lege satis liquidum est, defectum a rectitudine in dolo referri ad voluntatem. Genus et differentia specifica omnem absolvit definitionem (per pr. Log.). Iam vero genus

tam, quam differentia specifica dolii legibus conformiter se habet ciuilibus (per demonstr.). Palam igitur est definitionem dolii supra traditam iuri ciuili conuenire.
Q. e. d.

Quod in dolo defectus a rectitudine ad facultatem adipetitiam superiorem referatur in iure ciuili, exinde quoque adparer, quod leges negent insanem, furiosum, mente captum, ebrium dolii esse capaces. *I. 3. §. 1. de iniuria l. 23. de furtis. l. 12. ad l. Corn. de Sicartis. l. 40. de R. J.* Non sane aliam ob causam, quam quod intellectus vnuat que rationis sint destituti *§. 10. J. de iniusti. Stipulat.* Supponit adeo ius ciuale personas, in quas dolus cadere possit, ab vnu rationis atque intellectus instructas esse, atque adeo quum facultas adipetitius, quae intellectum sequitur, audiatur superior; dolus inuoluit defectum a rectitudine quoad facultatem adipetitiam superiorem secundum iuris ciuilis rationem. Hanc definitionem itaque omnem suam & in iure ciuili habere latitudinem, atque adeo omnibus casibus, in quibus vnuquam dolus locum habere poterit, tam pacis quam delictis, conuenire, leui adtentio & perspicientia faltem instructus ex facili videt. Quamuis igitur definitionem legalem adsumere non potuerim ab rationes iamiam adductas, non tamen ideo definitionem adhibuisse, a legibus abhorrentem dicendum sum.

§. III.

Decipiens habet propositum aut proaeresin dolose agendi atque alterum laedendi. Etenim decipiens sciens volensque actionem dolosam suscipit (*§. 2.*); atque adeo laesionem, quae actioni dolosae necessario ideo cohaeret, quod ea sit minus recta (*§. 1.*), actio vero minus recta laesionem semper quandam inferat (per pr. iur. nat.), nouit atque voluit. Ad illius existentiam itaque tendit voluntas. Quod quum adpellemus decernere, decipiens

decipiens actionem dolosam atque exinde promanantem laesio[n]em decernit. Decipiens actu agit. Consequitur itaque, ut voluntatem determinauerit ad exsequitionem decreti. Actus iste voluntatis, quo exequatio decreti determinatur, propositum est seu proaeresis (§. 503. Part. 1. Theol. nat.). Decipientem itaque propositum atque proaeresin habuisse dolose agendi atque adeo deceptum laedendi, est quod summa cum ratione adfirmem. Q. e. d.

At haec propositio circulos turbare videtur J[ohannes] C[ornelius] torum dolum diuidentium in dolum ex proposito & dolum ex re. Eorum triique, fateor, qui dolum ex re eum esse dicunt, qui confitit in laesione, contingente ex inaequalitate aestimationis rerum, quae in contrahibus onerosis inuicem commutantur, quamvis deficiat propositum laedendi alterum; quam laesio[n]em restitutionem non parere adfimant, nisi sit enormis, aut minorum caussa agatur. Quis autem ad curatorum hanc notionem cum dolo ex re runget? quippe quae determinationes non modo inuoluit essentias atque attributis dolii contrarias, verum etiam ab ipsis legibus abhorret. Quam ob rem alia eidem erit substituenda, quae naturae dolii atque legibus magis conformis est atque con gruens. Eam dedit *Perillus fr. wolffis* in *Part. 1. Philos. Pr. Vniuersi* §. 713. dolum ex re definiens, quo malum ex actione sua resultans equidem non intendit agens, vbi vero idem ex post facto cognoscit eum, in quem redundauit, id ferre vult. Dolum e contrario ex proposito, quatenus huic opponitur, per eum, quo malum, quod ex actione sua resultat, intendit agens sive directe, sive indirecte. Hicce notionibus in genere competit, quod triique dolo, dolo nimurum tam ex re, quam ex proposito generatim insit propositum laedendi. Huc quoque confineare videtur *struvius* in *Syntagm. iur. ciu.* dum dolum ex proposito

atque ex re sic declareret ut illum esse dicat, qui ipso tempore, quo contractus initur malo consilio seu proposito interuenit; hunc vero quando ipsi contractui dolus non interuenit, sed postea ab uno ex contraentibus aliquid sit, quod factum dolum continet. Vbi itidem supponit in dolo ex re, quamvis non ab initio, tamen ex postfacto propositum aliquid alterum laedendi. Idem inquit LANTERBACH in *Compend. iuris* vbi dolum ex propositio, ait, esse, qui initio & eo tempore quo negotium sit, adhibetur: Et dolum ex re, qui ex postfacto superuenit. Item BACH. *Comment. t. de dolo c. 1, n. 5.* Nec alia communode doli ex re erui poterit notio ex l. 36. V. O. quae originem huic divisioni praebet, ibi enim ita habetur: *Si quis, quam alter conuenerit eum obligari, alter per machinationem obligatus est, erit quidem subtilitate uris obstrictus, sed doli exceptione uti potest: quia enim per dolum obligatus est, competit ei exceptio.* In his verbis sermo esse videtur de dolo ex proposito supra definito, in sequentibus vero verbis eiusdem legis: *Idem est, si nullus dolus intercessit stipulantis, sed ipsa res in se dolum habeat: quam enim quis petat ex ea stipulatione, hoc ipso dolus facit quod petit, doli ex re fit mentio.* Quia igitur stipulans ex stipulatu agere vult, quama deinde sciat ex contractu suo alterum laesum esse; eas ille omnino sciens volensque omittit actiones, quibus alter a laesione liberatur, atque in eum statum restituatur, quo ante erat, quam ageret, atque id agit, quo rapsa laesione incurrit. Non obscurum itaque est ex hac lege stipulanti propositum actionem dolosam committendi fuisse, quamvis ex post facto adcesserit, atque adeo ex post facto contractus euaserit dolosus. Ut autem doli ex re arque ex proposito differentia luculentius adpareat ad sequentem solo attendi casum. Fingas Caium scire monetam, quam Sempronio dare vult, esse adulterinam. Eam igitur si rapte Sempronio pro vera det, Caius dicitur dolum commisisse

misisse ex proposito, quia laefionem ex actione sua resulantem ab inicio & directo intendit. Si vero Caius ignorat, monetam esse falsam, eam iudicans potius esse genuinam, dolum in Sempronium adhuc committit nullum: Ast finges Caium ex post facto certiorem reddi se falsam dedisse monetam, atque eam illum cum genuina quadam commutare nolle, quamvis propositum laedendi iamiam conceperit, ex re tamen eius est dolus, quia propositum ex post facto adcesserit. Conueniunt itaque dolus ex re arque ex proposito, quod ex proposito vterque veniat: Sed in eo differunt, quod in dolo ex proposito propositum statim agenti adsit; dolus vero ex re propositum agentis ex post facto arguat.

§. V.

Dolus nec manifestus seu clandestinus is adpellatur, qui a simulante committitur. *Dolus e contrario manifestus seu apertus* absque omni omnino simulatione concipiatur.

Eandem dolii divisionem easdemque notiones tradidit *Perrilliusr. wolffii in Part. i. Phil. Pr. Vniu.* Nec non BERGERVS in *Oeconomia iuris L.3 t. 15. §. 10 n. 1.* In exemplo in not. ad §. 1. relato PYTHIVS, traditur, conuocasse ad se pescatores atque ab illi petiuuisse, ut ante suos hortulos pescarentur eam ob caussam, ut CANIVS hortulos istos sic instruetos emendi cupidine incensus tanti emeret, quanti callidus iste PYTHIVS voluerit. Quum autem deinde competeret CANIVS, nullam dari in istis hortulis pescationem; constabat, PYTHIVM aquationem istam, istamque piscium abundantiam fuisse mentitum, atque adeo simulationem ad decipiendum CANIVM adhibuisse. PYTHIO itaque ideo tribuitur dolus clandestinus. Similiter alterum occisuro eumque ideo blandis compellant verbis, atque amicum se eius esse sincerum & fidem simulandi, ut eo minus manibus suis lese cripare possit, dolus imputatur clandestinus ob simula-

mulationem eidem immixtam. Si e contrario sicarius quidam aperta vi atque animo occidendi neutquam celato, sed sufficienter declarato alterum adgreditur , dolo ille i-stud crimen committit, cui nulla incelle deprehenditur simulo-
tatio , consequenter dolus manifestus illi non potest non adtribui. Ceterum quum doli inferiora sint dolus clande-
stinus atque manifestus , atque vterque sub disiunctione sumitus cum dolo sit reciprocus ; doli adcurata est diuisio
in spho adstructa. Nec inuitis hanc diuisiōnē formari le-
gibus infra mox adparebit, vbi peculiari theoramate ostendam, hancē doli diuisiōnē ex ipsis erui posse legibus.

§. VI.

Quicunque simulat, eius actio externa dissentit ab interna, atque illa animum prae se fert ab eo, quem si-
mulans habet, diuersum prolsus (§. 716. Part. II. Pbil. pr.
vniv. et §. 327. Part. III. Iur. Nat.). Iam vero decipi-
ens in dolo clandestino simulat (§. 5.). Decipientis igi-
tur in dolo clandestino actio externa ab interna disen-
tit, atque adeo actio externa decipientis animum prae
se fert ab eo, quem decipientis habet, longe diuersum.

PYTHII igitur actio externa , vbi pescatores ante hor-
tos pescari curauerat, vt simularet pescibus instruetos, di-
ueria est ab interna, quod equidem scierit, nullos ibidem
pescari fuisse solitos. Actio itidem illa animum PYTHII,
fundum scilicet pescibus instruetum vendituri, prae se fert,
qui ab eo, quem reuera habet, longe distat: dum hortum
hisce vſibus gaudentem nunquam vendere voluerit, quam-
uis subinde simulauerit. Idem conspicuum est, si quis pro
occultanda donatione venditionem celebret imaginariam v-
no, quod aiunt, nummo factam.

§. VII.

Decipientis in dolo clandestino efficit, ut deceptus er-
ret. Etenim decipientis in dolo clandestino actio ex-
terna

terna ab interna dissentit, atque animum prae se fert ab eo, quem decipiens habet longe diuersum (§. 6.). Cu-
ius vero actio externa animum prae se fert, ab eo, quem
reipsa habet, diuersum prorsus, ille efficit, ut alius fal-
sam de animi sui sensis concipiatur opinionem (§. 328. Part.
III. *Iur. nat.*): consequenter efficit, ut alius pro vero
aliquid habeat quod verum non est (§. 329. eodem.).
Decipiens igitur in dolo clandestino efficit, ut dece-
ptus pro vero habeat, quod verum non est. Quicunque
aliquid pro vero habet, quod verum non est, errare is
dicitur (per def.). Prono itaque sequitur alveo, deci-
pientem in dolo clandestino efficere, ut deceptus erret.

Q. e. d.

Non ignota demonstro, non inexpectata JCris. Idem
iamiam adgnouit atque statuit NIC. HIER. GVNDLINGIVS in
iuris naturae & genitum c. 4 §. 40. vbi : *de dolo*, inquit,
paene *idem tenendum* (quod nimurum non noceat) nam,
quum dolus sit certo sensu error, alio rursus intuitu malitia
insignis, hinc nulla imputatio ex parte facientis atque con-
tribuentis oriri potest, tum quia errans minime promittit;
tum etiam quia malitioso decipiensi iure acceptanci destitutus
tur. De dolo clandestino heic vir iste de iurisprudentia
immortaliter demeritus intelligendus erit omnino; de do-
lo enim manifesto adserita eiusmodi propositus abhorrent.
Propositione autem, quod dolus certo sensu sit error, Au-
ctor innuit, dolum hic referri debere ad deceptum, respe-
ctu decepti enim dolus errorem inuoluit: respectu vero
decipiens nullum sane errorem, sed malitiam insignem
prodit. STRVVIS itidem in *Syntagm. iur. ciu. Exerc. IIX.*
tb. XXVI. eandem tueretur sententiam, quippe qui rationem
subministraturus differentiae inter dolo & metu gesta de-
cepto tribuit errorem in his verbis : *Quam itaque alterius*
dolus glaucoma intellectui subiicit; ac *in errorem inducat,*

C

E

18 Dissertatio Iuridica

Et hoc etiam mouetur voluntas (quippe quae in omni actione dependet ab intellectu, Et hic ostendit ipsi obiectum, quod ea petit seu vult.) adeoque dolo deceptus haud perfecte sciens atque secundum voluntatem errore motam agat: seq. In exemplo, quae adserui, manifesta sunt. CANTVS enim, dum PYTHIVS hortum simularet instructum, in eo errauit, quod hortos piscibus instructos putauerit, idque pro vero habuerit, cum verum non esset. Hoc principium mihi magno erit emolumento , exinde infra nullitatem contrarium b. f. dolo initorum demonstratuero. Ceterum in qua haec propostio expressis traditur verbis , ego adhuc nullam deprehendi legem, quamvis sint , in quibus virtuiter contineatur. Etenim si modo definitio, quam LABEO suppeditauit, spectetur, in L. i. §. 2. de dol. mal. tradita, atque noriorum ratio habeatur terminis definitionem doli ingredientibus respondentem ; haud obscurum est ad intelligendum, propositionem adstructam iuri ciuili esse conformem. Etenim praeter alios occurrit terminus fallacia, cui sine dubio notio illa responderet, quae ex usu loquendi ei adhaeret. Quis vero est, qui dubitar? fallaciā ei tribui, qui alterum fallit , fallere autem denotare, efficere ut pro vero habeat, quod verum non est, sive ut errori fiat obnoxius. In aprico ut adeo sit possum, propositionem legibus conuenire.

§. VIII.

Divisio dolis in clandestinum seu nec manifestum, atque manifestum seu apertum, legibus conuenit. Etenim quum in l. i. §. 2. de dolo malo VPLANVS disquirat num Seruius an Labeo dolum malum rectius definierit? eam ob causam Labeonis definitionem Seruui praeferit definitioni, quod hic speciem tantum doli mali definiebit, atque adeo definitionem considerit, suo definito angustiorem. Dolum malum enim SERVIVS definit per machina-

chinationem quandam alterius decipiendi causa, cum aliud simulatur aliud agitur. Labeoni vero haec displicuit, qui dari dolum et absque simulatione existimat, ut ex verbis L. cit. manifestum est, atque adeo SERVIVM tantummodo doli mali speciem definiisse. Duas igitur dolii mali species LABEONEM in mente habuisse certum est, quam quod certissimum. Vnam nimurum dolii speciem, vbi dolus a non simulante committitur; alteram, vbi absque simulatione non concipitur. Iam vero quum dolus a non simulante patratus, manifestus, qui vero a simulante committitur clandestinus adpelletur (§. 5.); haud dubium esse arbitror, diuisiōnem dolii in manifestum atque clandestinum iuri ciuili conuenire.

Nun autem LABEONIS de dolo definitio, quam recte Servii definitione curatius construere voluit, sit ita comparata, ut eius yitii sit expers, cuius Seruui definitiōnem adculsauit, atque adeo dolum manifestum atque clandestinum sub se comprehendat, heic non disquiram, sufficit eum voluisse. Eandem propositionem ex innumeris exemplis in legibus obuisi probare possem, vbi quaedam exstant, quae ad dolum pertinent manifestum, quaedam ad dolum clandestinum referri debent,

§. IX.

Qui in paciendo dolum committere vult cum effectu, simulatione is opus habet. Ponas eum qui in paciendo dolum cum effectu committere vult non opus habere simulatione. Neque itaque eius actio interna dissentit ab externa, neque ea animum prae se fert ab eo, quem decipiens habet diuersum (§. 6.). Non igitur actio externa occultat actionem internam, atque adeo decepto patet, quid velit decipiens atque intendat. Quum

C 20 *modis omnino* autem

autem decipiens in paciscendo dolum committere intendit (§. 1.); nec deceptum illud fugere potest. Quum etiam dolus sit propositum deceptum laedendi (§. 4.); deceptus seit se in paciscendo laesumiri. Iam vero arbitrio decepti reliquum num pacisci velit nec ne. Quodsi itaque deceptus nihilominus paciscitur, sua sponte laesionem sciens volensque incurrit. Quod quum sit absurdum: propterea quod communis hominum naturae repugnat, eos laisionem, quam certo praevident quamque amoliri possunt, sua sponte sibi contrahere; absque simulatione dolus in paciscendo omni effectu destituitur. Relinquitur itaque, eum, qui in paciscendo cum effectu dolum committere vult, efficere debere, deceptum se decipi nescire. Utique adeo vltro mihi quemlibet esse, credo, concessurum, sub hypothesi simulationem utique esse adhibendam. Propositio itaque demonstranda stat ceu marpesia cautes.

Quis vnquam adfirmabit CANIVM tanti hortulos emteturum fuisse, quanti PYTHIVS voluerit, si istos punctione atque aquatione nulla esse instructos scierit, consequenter se in eo, quod pluris emerit, laesumiri perspectum atque compertum antea habuerit. Opus igitur fuit PYTHIO simulatione, si dolum, quem in paciscendo commiserat, non omni omnino effectu carere voluit. Huc conlineare videtur L 7 §. 9. de pactis, vbi traditur dolum in paciscendo commissum ita esse comparatum, ut circumscribendi alterius causa aliud agatur aliud agi simuleretur. Verba legis sunt: *Dolus malus fit collitatate atque fallacia:* Et ut ait Pedius, *dolo malo pactum fit, quoties circumscripti alterius causa aliud agitur, aliud agi simulatur.* Vbi Pedius utique adgnouisse videtur, dolum in paciscendo absque simulatione esse frustraneum, atque adeo omni omnino destitui effectu.

§. X.

§. X.

Quum itaque dolus, qui absque simulatione non concipitur, dicatur clandestinus (§. 5.); *qui in paciscendo cum effectu dolum committit, committat dolum clandestinum necesse est* (§. 9.). Per consequens quum decipiens in dolo clandestino efficiat, ut deceptus in errorum abducatur (§. 7.); *decipiens in paciscendo efficit, ut deceptus errori mancipetur.*

Consentit mecum GUNDLINGIUS in loco iam supra citato, dum adfirmat dolo semper inesse certo sensu errorum, idque ad contractus adplicat, in quibus non potest non admittere, locum tantum habere dolum clandestinum. Quid? quod si quis demonstrationi, quam in medium protuli fidem denegaret, evoluat ille *Perillufr* worfii Part. III. Jur. Nat. §. 573. Vbi in scholio eandem mecum tuerit sententiam. Quem enim si pro me adlegauero, demonstrationi haud leue adiecero pondus.

§. XI.

Causam dare negotio cuidam id dicitur, quod continet rationem quare celebratum fuerit negotium. Quum ē contrario *quod* in negotium quoddam *incident* opposita sit declarandum ratione.

Eandem hic caussae notionem iungo, quam in Philosophicis eidem respondere constat. Ibidem enim causam appellant principium existentiae, principium vero, quod in se continet rationem alicuius: quam definitionem si definito substitueris, caussa est id, quod continet rationem existentiae alicuius rei. Ceterum qui prima tantum fecerit in iurisprudentia tirocinia, non ignorat vocabulum caussae admodum esse πολύτην, eiusque dari significatus quam plures, quorum recensione heic abstineo.

C 3

§. XII.

§. XII.

Quum igitur cessante ratione cessare non possit non rationatum: *Si non existat quod causam dedit negotio, negotium nihilominus pro existente habere manifestam arguit absurditatem.*

Maioris loco propositionis canonem sumsi istum metaphysicum: cessante ratione cedat rationarum; quem scilicet in Ontologicis demonstratum reperimus. Minor propositio est definitio §. praec. adstruxta. Principia itaque sunt satis evidencia, ex quibus hoc consecutarum non potui, quin inferrem.

§. XIII.

Dolus causam dans dicitur, qui causam dedit contractui, seu rationem continet, quare initus fuerit (§. 11.). *Dolus e contrario* dicitur *incidentis*, qui rationem ita in se non continet.

Hanc de dolo causam dante non potui non formare definitionem ratione habita eorum, quae quoad hanc materiam in iure occurserunt nostro. Libens lubensque itaque facio missam definitionem, quam ad vnum fere omnes JCTi de dolo causam dante dederunt. Ita enim dolum describunt causam dantem contractui: quo quis, quum animum atque propositum contrahendi non haberet, in eo circumscribitur, ut contractum ineat. Vide BARGAL. in tr. de dolo L. 2. rubr. de dolo cauf. dant. & incid. n. 5. STRVV. in Synt. Jur. ciu. Exerc. IIIX. tb. XXVII. HARPRECHT in Comm. J. ad §. 28. de action. HVBEX Prael. ad ff. L. 4. t. 3. n. 4. ANTON. PEREZ. Prael. in C L. 2. t. 21. n. 5. BRVNNE. ad L. Et eleganter 7. de dolo malo: aliosque plures qui hancce tetigerunt materiam. Verum haec in medium proleta definitio vitio, quod pace atque auctoritate tantorum alioquin de iurisprudentia bene meritorum virorum salua monuerim, laborare videtur. Speciem enim tantum doli causam

fam dantis declarat definitio, atque adeo sio definito non potest non longe angustioribus inclusa esse limitibus. Dantur casus vbi is, qui decipitur animum atque propositum contrahendi iam pridem ante habuerit conceptum, quam dolosa persuasione arque astuta machinatione circumscriptus fuit. Fingas Sempronium seruum emturm esse, qui medicam calleat artem, eumque Caium adire, cui magnam scit mancipiorum esse multitudinem, atque interrogare, num venalem habeat seruum medicum. Caius non ignorans, nullum in suo exstare famulitio seruum, arte qui hac instruetus sit, adfirmat, atque Sempronio seruum ex contractu tradit, qui nullam rem minus, quam hanc artem fuerit edocetus. Quum itaque, si hoc exemplum intuearis, liquidum sit, dolum Caii, seruum est medica arte instruetum, adfirmantis rationem continere, quare Sempronius contractum celebrauerit, alias nimurum non eum initurus, nisi seruus medicam calleat artem; quis est, qui negare ausit Caium hic dolum patrasse causam dantem contractui? Non vero ad hunc casum extendi poterit ICororum dolii causam dantis definitio, cuius quippe differentia specifica casum ita supponit, vt Sempronius neutiquam iam habeat animum atque propositum seruum emendi medicum, sed eum tum tandem concipiatur, cum Caius Sempronio doloso persuadere operam nauat, vt sibi seruum comparet medicum, qui omni cum cura in sanitatem ipsius corporis inuigilat. Similiter si ponas Titium vt, quandoconque conlibuerit, circumequitando corpus commouere posit, sibi emere velle caballum non nisi ad equitandum comparatum. At fingas mangonem quendam callidum illi vendere equum, quem caballum dixit ad equitandum commodius satis idoneum, plaustris autem trahendis non nisi adiuetum. Rursus hic depicendum dolus, qui causam contractui dedit, quamvis animum atque propositum contrahendi iam pridem habuerit conceptum. Neque igitur & hic casus definitioni isti conuenient.

re potest. Palam adeo est, JCtorum minus recte concinnatam esse definitionem, adeoque non possit non in mendis cubare. Quamuis autem in hisce adlati casibus dolum contineri causam dantem ex mea deduxerim definitione, atque adeo videar cum JCtis ex hypothesi, quod aiunt, disputare; deinde tamen illud evidenter adparebit, vbi demonstraturus sum meam definitionem notioni in legibus contentae esse conuenientem, adeoque ab his abhorrire non possit, quod ex ista definitione prono, quod aiunt, fluit alueo. Doli incidentis quod attinet definitionem facilius cum mea consentit communis Dd. definitio; dolum enim incidentem dicunt esse, quando quis omnino sponte sua contrahit, at in modo contrahendi fraudulenter decipitur. Vid. BARGAL l. c. ceterosque supra notatos. Licer enim eam quad verba non adsumiserim, tamen ex mea illam ex facili in sequentibus deducturus sum. Exemplum doli incidentis admodum perspicuum est, quod in not. ad §. 1. adduxi. Ibi enim in eo CANIVS deceptus est, quod hortulos pluris emerit, dum PYTHIUS piscatione esse instructos simularer, quam fecisset, si nullos ibidem piscari esse solitos compertum habuisset: quamuis ideo ipsos hortos absque piscatione consideratos bene emisset. Non igitur quod hortus piscatione instrutus fuerit, rationem continet, quare CANIVS contractum cum PYTHIO init. Dolum ergo PYTHIUS tantum esse incidentem, quilibet vltro concedit.

§. XIV.

Quum itaque non existente eo quod negotio causam dedit, nec ipsum existat negotium (§. 12.); *dolo causam dante non commisso, nec ipse celebratur contractus* (§. 13.).

§. XV.

Dolus e contrario incidens, quum non contineat rationem

rationem, quare initae fuerit contractus (§. 13.), dum forsan alia adlit ratio, quare negotium potius celebretur, quem intermittatur, *sive ille commissus fuerit, sive non, contractus ipse nihilominus existit.*

Ex exemplo ex CICERONE hoc transcripto adparet, *CANIVM* hortulos emisse, licet extritus dolum etiam non commisisset. Non enim piscibus instructos voluit emere, sed tantum, ut haberet, quo inuitare amicos & vbi se oblectare posset sine interpellatoribus. Haec rationem continent, quare contractum inierit, atque adeo cauflam ei dederunt. Quae igitur quim adfint, *CANIVS* non curat num pescatione praeterea fuerint horri instructi, quamuis pescatio ista simulata esset, quo magis ad contractum adliceretur *CANIVS*. Quum e contrario Sempronius seruum ideo emat, quod putauit eum Medicam callere artem; adparet Sempronium contractum haud celebratum fuisse, si se seruum emere hac scientia plane desitum sciuisset. Atque adeo contractus non existisset nisi dolor, qui cauflam dederit contractui, fuerit commissus.

§. XVI.

Qui dolum tam cauflam dantem quam incidentem committit, efficit ut deceptus erret (§. 13.10.).

Dum *CANIVS* puret, hortulos, quos a PYTHIO emit pescibus esse instructos, quum tamen nulli alias ibidem pescari soliti fuerint; *CANIVM* errasse eiusque erroris PYTHIUM cauflam esse, quis est, qui dubitat?

§. XVII.

Definitiones dolii cauflam dantis atque incidentis iuri ciuili sunt conformes. Etenim in l. 7. pr. de dolo malo notio dolii cauflam dantis deprehenditur sequenti modo: *aut nullam esse venditionem, si in hoc ipso, ut*

D *vende-*

venderet circumscriptus est. Haud absimili modo in
l. 16. §. 1. de minoribus eadem inuenitur. Verba: Item
 relatum est apud LABEONEM, si minor circumscriptus
 societatem coierit, vel etiam donationis causa, nullam
 esse societatem, &c. Neque minus adparebit ex *lege 3.*
§. 3. pro socio: Societas si dolo malo aut fraudandi cau-
 sa coita sit, ipso iure nullius momenti est. Hic nisi cui
 sanum sinciput deficit, neminem later, in his textibus &c. cir-
 cumspectum esse seu deceptum esse rationem in se con-
 tinere, quare deceptor vendat, aut societatem ineat, at-
 que contractum celebret. Supponitur itaque dolus, qui
 rationem in se continet, quare contractus initus. Cui quidem
 notioni quum terminus complexus respondeat dolus cau-
 sam dans (*§. 13.*); palam satis est, eandem notionem, quam
 eidem iunxi, iuri ciuili esse conformem. Q. e. Idem.

L. 13. §. 4. de actione emti et venditi: Si
 vendor dolo fecerit, ut rem pluris venderet, puta de
 artificio mentitus est, aut de peculio, emti eum iudicio
 teneri, ut praestaret emtori, quanto pluris seruum emis-
 set, si ita peculiatus vel ab eo artificio instructus. In
 hac lege ex verbis initialibus adparet, venditorem dolo
 suo contractui neutiquam praebuisse causam, dum dolo
 suo vendor non effecerit, ut contractum ineat dece-
 ptus, sed tantum ut rem pluris venderet, dum de artificio
 aut peculio mentitus est. Supponitur itaque in hac lege
 dolus, qui rationem non continet, quare contractus initus
 est, quamvis quod deinde de dolo incidente demon-
 strabitur, rationem complectatur, quare determinatum
 hinc adeperit modum contractus. Cui notioni quum
 respondeat terminus doli incidentis (*§. 13.*); Et eam iuri
 ciuili conuenire, in aprico est. Q. e. Idem.

Termini-

Terminos doli caussam dantis atque incidentis JCTri excogitarunt, neutquam illos ipsae nobis suppeditant leges. Non autem ideo duocda consequentia, a termino quodam in iure non deprehenso ad notionem eidem respondentem exterminandam prorsus atque excludendam. Alienus igitur sum a sententia eorum, qui hanc diuisionem doli reiiciunt propterea, quod legibus plane non sit conformat. Quam sententiam defendunt CASP. THEOD. SUMMERMANN in *Comment. ad περὶ τὰ de dolo malo* §. 7. existimans contractum b. f. nunquam nullum esse siue illi dolus caussam dederit, fine in eum inciderit, de quo insequentibus plura adducam: Item GERARDVS NOOTIVS de *forma emendandi dolī mali* c. 7. seq. statuens, contractum b. f. semper nullum esse, siue dolus inciderit, siue caussam dederit. Faretur quidem vir laudatus, huius diuisionis caput, atque, ex quo profuxerit, fontem esse L. 7. de dolo malo, at aegrum eum esse putat VLPIANI textum, atque ideo recreatione quadam indigentem. Deleri itaque vult verba: *aut nullam esse venditionem, si in hoc ipso, ut venderet circumscriptus est*, ex ratione, quod non sint VLPIANI, quia turbans eius sensum tam manifestum, quam optimum, atque ideo a margine in ipsum ut putat irreperirent textum. Verum rem iam peroravit LYDOVICI diff. de dominio ex contractu doloso non translato §. 15. 16. 17. NOOTIVM sequitur BYRCHE. CHRIST. BEHR diff. de actione de dolo malo &c. n. VIII. Verius, inquit, est gratis inferri banc distinctionem huic doctrinae. Auctores veteres & leges nostrae tacent: nulla commoda potest dari ratio, cur in contractu doloso plus licent dolo caussam danti, quam incidenti: difficile futurum est, aliquando ista duo dolorum genera distinguere: nihil solidi potest allegari, cur illa distinctione in b. f. iudicis, quibus omnino dolus est aduersus, multum, in stricti iuris iudicis nihil operetur: quae omnia eo plus ponderis habent, postquam confit, l. 7. pr. d. t. illius distinctionis fontem vel glossa-

D 2

mate

mate laborare , ut probare ntitur NOOTIVS l. c. vel leui emendatione & commoda interpretatione , ut visum GUNDLINGIO ad ff. b. t. §. 7. posse iuuari . Verum quod leges non raseant satis ostendit propositionis demonstratio : atque solidam rationem dari posse vtique , cur in contractu doloso plus operetur dolus caussam dans quam incidunt , infra suam adcipiet lucem , vbi demonstratione firmare operam natabo . Ceterum diuisionem doli in caussam dantem atque incidentem etiam conspicimus in L. 12. §. 1. de iure dotium , vbi vtraque species sibi expresse opponitur : si mulier se dicat circumuentam minoris rem aestimasse , ut pote seruum : si quidem circum in hoc venta est , quod seruum dedit ; non tantum in hoc , quod minoris aestimauit ; in eoc acturam , ut Seruus sibi restituatur ; enim vero si in aestimationis modo circumuenta est , erit arbitrium mariti , utrum iustam aestimationem an potius seruum praefaset . Dolum enim caussam dantem contractui verba designant : siquidem circum in hoc venta est , quod seruum dedit . Dolum vero incidentem : enim uero si in aestimationis modo circumuenta est . Quum itaque notiones doli incidentis atque caussam dantis iuri conueniant , disconuenire , quae legitimo rationationis nexus ex iis deducta sunt porismata , repugnat . Obtinet itaque , quod §. 14. 15. 16. ex hisce doli speciebus evolutum deprehenditur .

§. XVIII.

Dolus incidentis rationem continet , quare contractus determinatum atque specialem hunc adcepit modum . Quum enim quando de reparanda laesione queritur , laesionem actu esse factam supponamus ; illud quod laesionem intulit effectum habeat necesse est . Dolus igitur incidentis effectum habeat oportet . Eum autem quum non habeat effectum , ut contractui initio caussam dederit (§. 13.) ; ut specialem atque determinatum hunc habeat modum .

modum contractus, efficere debet. Consequenter rationem continet istius modi contractui initio inexistentis. Q.e.d.

Hanc propositionem definitionis loco sumere JCTos supra notaui. Et recte quidem propterea, quod propositionem simplicem, quod aiunt, conuersiōnē admittere, si opus esset, demonstrare possem. In propositione autem simpliciter conuertibili praedictum constituant vel essentialia omnia simul sumta sive reciproca, vel adtributum proprium, aut tot adtributa communia, ut ex omnibus essentialibus fluant necesse esse, Logici inculcant. Ex iis itaque quum definitiones concinnari possint, propositionem ita conuertibilem definitionis loco adsumere non repugnat. Modus ceterum hic idem denorat, quod, si essentialibus atque adtributis opponitur. Quod vi luculentius patcat, ad sequentia attendi volo. Modi quum non per essentialia determinantur, constanter non adsunt. Vbi igitur aliquam alicius rei deprehendis affectionem, quae rei constanter non inhaeret, absque errandi periculo, eam modum esse concludere licet. Iam vero quum contractus, in quem dolus incidit, iniuretur a decepto, nullus licet dolus fuerit admissus (§. 15.); existente isto contractu, quem deceptor inire voluit, abesse illud non repugnat, quod per dolum incidentem effectum fuit. Consequenter dolus incidentis non nisi modum infert contractui, quem deceptor inire constituit.

§. XIX.

In dolo caussam dante contractui, error decepti quoque caussam ei praebet; in dolo e contrario incidente, error decepti nequitam contractui dat caussam. Et enim in dolo caussam dante contractui efficit decipiens, vt deceptor erret (§. 16.). Error autem pendet a simulatione decipientis (§. 6.). Iam vero simulatio decipientis,

tis, in dolo caussam dante contractui ita comparata est, vt simuletur id, quod rationem continet initi contractus (per defin.). Circa id igitur errat deceptus, quod continet rationem, quare contractus initus fuerit. Ponasiam errorem decepti non requiri ad ineundum contractum, scit itaque deceptus id, quod rationem continet, cui contractus ineatur a decipiente simulari. Simulatio igitur decipientis omni prorsus effectu destituitur, ac idem est, illa adfuerit, nec ne. Quod quum in contractibus, in quibus dolum effectum habere ponitur absurdum sit (§. 5.): requiratur in dolo caussam dante contractui error decepti, necesse est. Quocunque ad aliquid requiritur eius dicenda est ratio (per defin.). Error itaque decepti in dolo caussam dante continet rationem initi contractus. Error igitur eidem caussam dat (§. 12.). Atque propositio: in dolo caussam dante contractui error decepti ei caussam dat, stat ceu Marpesia cautes, Q. c. Iium.

Antecedenti demonstrationi haud absimili modo, mutatis mutandis, patet: in dolo incidente errorem decepti neutiquam contractui dare caussam. Q.e. IIidum.

Propositiones adeo sunt evidentes, vt nulla indigere videantur probatione, easque prope terminis modo intellectis quilibet vltro concedat. Ita si Sempronius dolose seruum vendit coquum aut nullo artificio instructum Caio, seruum nonnisi emturo pictorem; dolus Sempronii caussam dat contractui, atque ideo haud obscurum est, errorem Caui caussam contractui dare. Necessario enim error Caui requiritur ad contractum ineundem, quia Caius proboscens se esse seruum a Sempronio adcepтурum coquum, aut nullo prorsus instructum artificio, nunquam contrahe-
ret,

tot, quantamcumque curam versaret Senapronius ad dicionem
di Calum ad contrahendum. E contrario quum PYTHIVS
dolum tantum commiserit incidentem, quamvis in errorem
CANIVM abduxerit; is error tamen caussam initii contractus
prositus non complectitur: non aliam ob caussam, quam
quod hortulos sciens emisset, nullam ibidem esse pisticatio-
nem. Neque igitur iste CANIV error ad contractum ineun-
dum requiritur: neque itaque caussam potest dare con-
tractui.

§. XX.

*In dolo incidente error decepti rationem continet,
quare contractus initius determinatum hunc habeat mo-
dum.* In dolo incidente efficere decipientem ut dece-
ptus errori obnoxius reddatur, certum est (§. 16.). Error
vero decepti pendet a simulatione (§. 6.). Simulatio
autem decipientis in dolo incidente ita comparata est,
ut simuletur id, quod rationem continet, quare contra-
ctus initius determinatum atque specialem hunc habeat
modum (per def.). Efficit igitur decipiens, ut in eo erret
deceptor, quod rationem complectitur, quare contractui
initio specialis hic insit modus. Iam ponas errorem de-
cepti non requiri ad huncce modum contractui initio con-
stituendum. Scire igitur potest deceptor, illud, quod
continet rationem illam, non existere. Neque igitur
ullum effectum habet simulatio, perinde ac si nulla ad-
fuisse. Quum autem, si dolus in paciscendo commissus
effectum habere debet, simulatione necessario opus sit
(§. 5.); requiratur oportet error decepti ad contractui
ineundo hunc modum constituendum. In dolo igitur
incidente error decepti rationem continet, quare contra-
ctus initius specialem hunc adcepit modum. Q. e. d.

§. XXI.

§. XXI.

Error inefficax alicui tribuitur, qui actionem suscepisset, licet minus errasset. *Error e contrario efficax ei,* qui, nisi errasset, actionem non suscepisset. *Contrahenti igitur error tribuitur inefficax,* qui contractum celebrasset, nullo licet ductus fuisset errore: *error vero efficax tum tandem,* quando contractum non celebrasset, nisi errori fuisset obnoxius.

Caius serum emturus non esset, modo ipsi de illius qualitate constaret, nimurum quod nullo instructus fuerit artificio, atque adeo si errori non fuisset obnoxius. *Caius igitur contractum non celebrasset, nisi errasset:* con sequenter error eidem tribuendus est efficax. *E contrario canivs,* quod putauit hortulos, quos a pythio emere constituit punctioni esse instructos, errauit quidem: quia vero animi tantum causa, seque ibidem oblectandi gratia cum suis amicis hortulos sibi comparare decreuerat, punctionis nulla habita ratione: *contractum iniisset, licet sciuisset punctionem ibidem adesse nullam.* *canio igitur non potest non tribui error efficax.*

§. XXII.

In dolo caussam dante contractui deceptus contractum non iniisset, nisi errori fuisset obnoxius (§. 19.14.). Eidem vero, qui contractum non iniisset, nisi errori fuisset obnoxius, tribuitur error efficax (§. 21.); *Decepto igitur in dolo caussam dante tribuatur error efficax necesse est.* Si vero dolus in contractum incidit, deceptus contractum in se considerarum celebrasset, quamvis nullo unquam errore ductus fuerit (§. 19.15.); *Summa igitur cum ratione in dolo incidente decepto tribuitur error inefficax, quoad contractum in*

in se spectatum ineundum. At enim vero quoniam, si dolus incidit determinato hoc modo contractum haud iniisset, nisi errasset (§. 20.); luce meridiana clarius est, *decepto in dolo incidente errorem tribui efficacem, quatenus scilicet determinato hoc modo contractum iniit.*

Cui ultima haec propositio proxime antecedenti contradicere videtur, in memoriam is velim reuocet istud Philosophorum: Contradicitionem non incurrit, cuius respectus non semper idem atque circumstantiae non semper per eadem locum habent. Probe igitur ratio habenda est propositionum reduplicativarum, quae heic loci obtinent.

§. XXIII.

Condicio dicitur futurum illud incertum, cuius existentia rationem continet, quare initum fuit negotium.

Eandem fere HUBERVIS in *Prael. ad J. L. 2. t. 14.* suppediat conditionis definitionem; dum *adiectionem* adpellat, *casus in futurum contati a cuius eventu actus suspenditur.*

§. XXIV.

Quum igitur cessante ratione, cesse rationatum nescisse sit (per pr. Ont.); *Non exsistente conditione, negotium nihilominus validum esse,* manifesto est absurdum.

Hinc Ictorum regula: *deficiente conditione, ipsum negotium sub conditione celebratum deficiat necesse est quae adfirmatur L. 37. de contr. emt. vbi: Si quis fundum breditarium iure sibi delatum ita vendidisset: erit tibi emtus ranti, quanti a testate emtus est: mox inueniatur non emtus, sed donatus testatori: videtur quasi sine pretio facta venditio: ideoque similis erit sub conditione factae venditioni: quae,*

E

quod

quod probe notandum, nulla est, si conditio defecerit. Itera L. 8. de per. & com. rei vend. vbi: *Quod si sub conditione res venierit, si quidem defecerit conditio, nulla est emtio.* Idem obinet si conditio euentum supponat in se iam praeteritum, id quod L. 200. de V. O. declarat: *conditio in praeteritum non tantum in praesens tempus relata statim aut perimit obligationem, aut omnino non differt.*

§. XXV.

Deficiente conditione ipsum negotium sub conditione celebratum pro inualido haberi, iuris est naturalis. Demonstrari enim potest ac debet ex principiis istis universalibus, quorum unum ex intima haustum est philosophia: alterum a rebus existentibus absque respectu ad legem aliquam posituam abstractum deprehenditur (§. 24.). Ex lumine igitur rationis nexus praedicati cum subiecto propositionis perspicitur, atque adeo eius veritas cognoscitur. Iam vero quod lumine rationis cognoscitur est iuris naturalis. Prono igitur fluit aliueo, propositionem: deficiente conditione ipsum negotium sub conditione celebratum pro inualido esse habendum, iuris utique esse naturalis.

§. XXVI.

Promissum ex errore efficaci factum, sit sub conditione, si verum sit, quod errans tanquam verum supponit; quod secus in promisso, si error est inefficax. Etenim in promisso ex errore efficaci inito errans supponit, id verum esse, quod rationem continet, quare negotium fuerit celebratum (§. 21.). Quod quum ratione errantis adhuc in futurum conferatur; in promisso ex errore efficaci inito errans constituit conditionem,

fi

si verum sit, quod verum esse supponit (§. 23.). Q.
e. Imum.

Neque minus altera theorematis pars exinde con-
cipitur, quod error inefficax rationem in se non contine-
at quare negotium fuerit celebratum (§. 21.). Non igi-
tur in promissio ex errore inefficaci factio errans supponit,
id verum esse in quo errat, quum etiam si non verum sit,
promisisset. Liquet adeo promissum ex errore inefficaci
factum non fieri sub ista conditione, si verum sit, quod ve-
rum esse supponitur (§. 23.). Q. e. Idum.

§. XXVII.

*Promissum, quod ex errore efficaci factum est se-
cundum ius naturae est invalidum; non item quod ex
errore inefficaci factum est.* Etenim promissum quod
ex errore efficaci factum fit sub conditione, si verum sit,
quod errans tanquam verum supponit (§. 26.). Quum
vero propterea quod erret, illud non verum sit, quod tan-
quam verum esse supponit; conditio sub qua promissum
fit non existit, seu, ut loqui potius solent, deficit. Ve-
rum enim vero deficiente conditione ipsum negotium
sub conditione celebratum pro inualido habetur secun-
dum ius naturae (§. 25.). Promissum igitur, quod ex er-
rore efficaci factum est, secundum ius naturae est inuali-
dum. Q. e. Imum.

Item altera theorematis pars suam adcepit lucem ex
§. 26. et 25. Ut igitur promissum, quod ex errore in-
efficaci initum secundum ius naturae esse validum, dubi-
tem nullus. Q. e. Idum.

§. XXVIII.

*Quum igitur in dolo causam dante deceptus pro-
missum*

E 2

missum fecerit ex errore efficaci: In dolovo incidente, quatenus ad ipsum contractum initum refertur promissum, ex errore ineffaci: quatenus vero modum, quem per dolum incidentem adcepit contractus initus, respicit promissum, ex errore iterum efficaci (§. 22.); *Si dolus caussam dedit contractui, promissum, quod fecit deceptor secundum ius naturale inualidum est omnino, consequenter et ipse contractus: Sin dolus inciderit, promissum, quatenus ad ipsum initum contractum refertur, validum est, consequenter contractus ipse est in eis validus: quatenus vero ad modum, quem contractus initus per dolum incidentem adcepit, refertur promissum, promissum est inualidum, consequenter tantum contractus earius est inualidus, quatenus per dolum incidentem determinatum hunc adcepit modum (§. 27.).*

Idem declarat *Perillustr WOLFIUS §. 569. Part. III. Jur.*
Nat. in Scholio: Quoniam, inquit, in genere demonstrauimus non valere promissionem, si error dederit caussam promissio; nec opus demum est, ut ostendamus promissio nem esse inualidam, si promissarius dolo det caussam promissio: neque enim hoc sibi aliud vult, quam ut dolose ad errandum induxerit promissorem, ut error promissioi caussam daret. Ceterum haud abs re primum demonstratum dedi, ea quea in spho habentur secundum ius naturae ita obtinere. Deinde enim ostendam in contractibus b. f. ea spectari, quea iuris sunt naturalis. Ceterum in aliam prorsus abit sententiam LYDOVICI in *diff. de domino ex contractu doloso non translato* §. 17. vbi: *abstribendo, inquit, a iure Romano res expedita est, quo d dolus conractum nullum reddat sue caussam ipsi derit sue in eum incidentis, siue contractus b. f. sit, siue sit, i. a. si vero in praesenti de interpretatione iuris Romanii & peculia-ribus eius principiis agitur, quea a simplicitate iuris natura-llis*

lis saepe recedunt. Vbi videtur adserere secundum ius naturae dolum incidentem totum contractum nullum reddere, nulla habita ratione, num consideretur contractus in se, an vero, quatenus determinatum hunc adcepit modum.

§. XXIX.

Si in verbis solemnibus aut literis in interpretatione tantum subsisterent, nec ultra procederent, strictum ius enascebatur apud Romanos. *Strictum ius in contractibus obseruari* dicitur, quando conuentionis verborum solemnium aut literarum, seu conuentionis formulae, ratione tantum habebatur. Cui opponebant *aequum* et *bonum*, quod opposita ratione declarandum. Utque adeo conceptioni verborum expressorum neutiquam inhaerendum sit, neque quid sermone expresso inter pacientes solum, sed quoque eorum, quae in celebrato negotio mens et intentio fuerit, dispiciendum sit.

Hoc ius strictum, seu rigida verborum captatio, quod CICERO pro CECIN. *ius summum vocat*, item *callidum atque versutum*, *quod verbis & literis nitatur*, non modo praedicitur de lege ipsa, vbi nimur ultra verba eius non progressur, quamvis iniquitatem summam incurrit: verum etiam de contractibus. Quod confirmat CICER. L. 3. c. 16. de off. vbi ex XII. tabulis satis fuisse dicit ea praestari quae essent lingua nuncupata. Quod autem stricto iuri opponatur id, quod aequum & bonum est, manifestat L. 8. C. de iudicis vbi: *Placuit in omnibus rebus praeceptuam esse iustitia aequitatisque*, quam stricti iuris rationem. Confer l. 86. pr. ac adquir. hered. l. penult. de conf. pecun. l. 50. in f. de hered. pet.

§. XXX.

Extra contractum esse dicitur, quod formulae conuentionis neutiquam intertum est.

Eundem terminum adhibuit HEN. ZAESIVS in *com. ad ff. t. dedolo malo*, eique eandem tribuere videtur notionem. In *contractibus enim, inquit, stricti iuris licet aliquis sit inductus per dolum, verum tamen est eum consensisse, Et licet in causa errauerit, illa tamen quia est extra contractum non attenditur in ipsis de rigore iuris, quum strictam habeant interpretationem.*

§. XXXI.

Quum itaque in eo, quod stricti iuris erat, conventionis formula tantum respiceretur, nulla ratione habita eorum, quae ei inserta non inueniuntur (§. 29.); *palam sic satis est, in eo, quod stricti iuris est, nihil extra contractum spectari* (§. 30.). E contrario quum in eo, quod aequum & bonum est, omnis omnino ratio habebatur eorum, quae quidem debentur, atramen formulae conventionis haud inserta sunt (§. 29.); *In eo, quod aequum & bonum est & ea quae extra contractum sunt, si debeantur, obseruentur necesse est.*

§. XXXII.

Contractus dicuntur *stricti iuris*, in quibus obseruantur strictum ius. *Contractus* e contrario adpellantur *bonae fidei*, in quibus id spectatur quod aequum & bonum est.

Cui fundamento diuisio contractuum in bonae fidei & stricti iuris contractus innitatur, inter Dd. valde controversum esse, constat inter omnes. Varias Dd. sententias recenset BACHOVIVS *de Act. tb. II.* Suam etiam de hac re valde difficulti sententiam dixit eleganter B. *Cancelarius de LVDEwig in Diurnis Halensis an. 1739. n. 45.* quae tractatio iam inserta T.II. der gelehrten Anzeigen. Quum vero huius loci non sit hanc tam arduam doctrinam ex suis principiis ex professo deducere, prout etiam temporis breuitas non permit-

permittit; ego varias Dd. sententias recensere, illasque sub examen vocare, nec volo, nec possum. Suscipiet forsan aliquando DN. PRAESES hunc laborem, et data occasione ex instituto de hac contractuum diuisione differet. Ego hic iam adopto, & quoad doctrinam quam mihi explicandam sumsi, absque omni erroris periculo adoptare possum, eam explicationem, quam dare solent JCTorum plerique.

S. XXXIII.

Quum igitur in contractibus stricti iuris strictum ius obseretur (§. 32.); in contractibus stricti iuris eorum nulla habetur ratio, quae extra contractum sunt (§. 31.). Quum e contrario in contractibus bona fidei illud spectetur, quod aequum & bonum est (§. 32.); in contractibus bonae fidei ea, quae extra contractum sunt, spectentur necesse est (§. 31.).

Eodem modo plerique JCTorum differentiam contractuum b. f. atque st. i. explicare solent. HYBERVS in *Prael.* ad *J. L. 4. t. 6. n. 25.* Describuntur, inquit, *bonae fidei actiones* quod eae sint in quibus iudex libere aestimat, quantum alter alteri ex aequo & bono, etiam ultra expressum conuenzionem dare praefare debeat. *Stricti iuris contra sunt in quibus index adstringitur conuentio*n*is partium, formulaeque Praetoris, quarum terminos egredi non potest.* Consentit etiam PERILL. BÖHMERVS, Vir de vniuersitate iurisprudentia immortaliter demeritus, qui in *tr. de Actionibus* eodem prorsus modo difficillimam horum contractuum indolem optime eruit. Ad stabilendam autem hoc modo contractuum b. f. & st. i. differentiam, si ipsam desideres legum auctoritatem; haud uno in loco occurunt, quae adsertio idoneam satis auctoritatem praebent. Ita in *L. 2. de Obl. & Act.* expresse habetur: *Item in his contractibus alter alteri obligatur de eo quod alterum alteri ex aequo & bono praefare oportet.* Vbi de

duis contractibus, quod ex pr. cit. l. adparet sermo est, qui
in consensu constituantur, atque igitur bona fidei sunt. In
L. 99. de V. Oblig. de contractibus, stricti iuris enuncia-
tur. *Quicquid adstringendae obligations est, id nisi palam
verbis exprimitur, omisum intelligendum est.* Confer. *L.
91. pr. eodem.* Ex his igitur principiis & legibus & doctrinis
J. C. torum plerorumque conformibus, iam videndum est,
quid prono, quod aiunt, fluat alueo.

§. XXXIV.

*Contractus stricti iuris non sunt contractus iuris
gentium seu naturalis.* Etenim in contractibus stricti
iuris non spectantur ea, quae, quamvis ex aequitate de-
beantur, extra contractum sunt (§. 33.). At in contracti-
bus iuris gentium seu iuris naturalis eorum utique habe-
rur ratio, quae, quum debeantur, extra tamen contra-
ctum inueniuntur (*per pr. iur. nat.*). Consequitur itaque,
ut contractus iuris gentium non sint stricti iuris. Contractus
igitur stricti iuris, non sunt contractus iuris gentium
aut naturalis. Q.e.d.

§. XXXV.

Quum igitur contractus, qui non sunt iuris naturalis,
sint ciuiles, seu qui formam propriam atque indolem a
iure adcepérunt Romano; manifestae veritatis est, *contra-
ctus stricti iuris esse contractus ciuiles, qui ex iure ciuili
Romano formam propriam atque indolem adcepérunt,
quae secundum ius naturae ius competere non adparet*
(§. 33.). Et contra.

Conventionum apud Romanos duo fuisse constat,
genera. Primo, *naturales* fuerunt, quae formam suam iuri
gentium atque naturae ferunt adcepunt, indeque quoad
formam ex iure naturae aestimatae fuerunt. *Juris proinde
dicuntur,*

dicuntur gentium in L. 7. pr. de pactis, atque naturalem praestationem habere L. 8. de cap. min. Deinde etiam comprehenduntur ciuiles, quae formam suam atque indolem essentialem a legibus Romanis adceperunt. Quae forma non nisi in eo consitit, vt aut verborum solemnium aut literarum conceptionis solum habeatur ratio, ita vt, quod iis expressum non inuenitur, omissum esse censeatur. Quas innuit CAIUS in L. 2. §. 1. de Obl. & Aet. vbi ait: *ideo autem ipsis modis consensu dicimus obligationem contrabi, quia neque verborum neque scripturae vlla proprietas desideratur.* Ceterum ex adductis semper iudicari poterit, quae nam actiones sint stricti iuris. Atque *Perillus fr. BÖHMERVS* in c. tr. singulas actiones ita diuidicauit, quaeque in eorum numerum haud sint referenda, adcurate determinauit.

§. XXXVI.

Contractus bonae fidei sunt contractus iuris gentium seu iuris naturalis. Ponamus contractus bonae fidei non esse iuris gentium contractus. Necesse igitur est, vt sint contractus ciuiles, qui formam suam internam adceperunt a iure ciuili Romano. Iam vero contractus qui propriam suam formam iuri Romano adcepitam ferunt, sunt contractus stricti iuris (§. 34.). Contractus igitur bonae fidei sunt contractus stricti iuris. Quod quum manifestam arguat absurditatem (§. 32.); contractus bonae fidei esse contractus iuris gentium, est quod summa cum ratione affirmem. Q. e. d.

Idque adfirmatur in l. 7. pr. de pactis ubi: *iuris gentium, conventiones, dicuntur, quaedam actiones parere, quaedam exceptiones.* Arque inter eas, quae actionem pariunt, referuntur, quae §. 28. J. de action. expresse contractus dicuntur bonae fidei: v. c. emtio venditio, locatio condu-

F

ctio,

etio, societas, commodatum, depositum &c. Quum autem haec demonstrata propositio possit conuerit; iterum adest regula, ex qua determinari possit, quinam contractus sint b. f. Sua sponte igitur ex ea fluit, contractus in cit. §. 28. recensitos non omnem contractus b. f. exhaustivæ extensionem.

§. XXXVII.

Quum igitur in contractibus iuris gentium praestationes veniant naturales, seu ea, quae obligationi naturaliter insunt; *in contractibus bonae fidei praestationes veniant naturales oportet* (§. 35.).

Conferri hic meretur L. u. §. i. de act. emt. vend. Et in primis sciendum est in hoc iudicio id demum deduc quod praefarsi conuenit. Quum enim sit bona fidei iudicium, nihil magis bona fidei congruit, quam id praefarsi, quod inter contrahentes actum sit: quod si nihil conuenit, tunc ea praefabuntur, que naturaliter insunt huius iudicii potestate.

§. XXXVIII.

Dolus tam caussam dans contractui quam incidens, contractum stricti iuris non semper reddit ipso iure nullum. Etenim si dolus tam caussam dans, quam incidens extra contractum est, quod fieri posse neminem in dubium puto esse vocaturum; eius in contractibus nulla habetur ratio (§. 33.), atque adeo non adtenditur dolus, an fuerit commissus, nec ne. Prono itaque exinde fluit alioeo, dolum iuri ciuili directo non repugnare, si extra contractum sit. Quod iuri ciuili directo repugnat, ipso iure nullum dicitur. Dolus igitur tam caussam dans quam incidens, contractum stricti iuris non semper reddit ipso iure nullum.

§. XXXIX.

Quod quum manifestam incurrat iniquitatem; redi

di poterit ratio, quare C. AQVILVS GALLVS huic malo mendam adhibuerit, formulas de dolo malo, omnis mali- tiae euerricula proposuerit, atque tandem edixerit: Quae dolo malo facta esse dicentur, si de his rebus alia actio non erit, et insta caussa esse videbitur, iudicium da- bo. l. 1. §. 1. de dolo malo.

Contractus stricti iuris ante c. AQVIL. GALLVM substi- tuisse ipso iure cicero l. 3. de Off. c. 14. docet, ubi adserit con- tractum inter Pythium & Canium substituisse, ita; *Stomacha- ri Canis. Sed quid faceret? nondum enim Aquilius col- lega & familiaris meus protulerat de dolo malo formu'as.* Vide l. 36 de V. O. & l. 5. C. de inut. stipul. Addo ZAESIVM adt. de dolomalo. BARGAL. l c. §. 25 STRVV. Exerc. IIX n. 32. Vnde antea eam adhibuerunt cautionem contrahentes, vt seorsum colum abesse fibi stipularentur. l. 121. pr. de V. O.

§. XL.

Contractus bonae fidei, cui dolus caussam dedit, est ipso iure nullus. Quum enim secundum ius naturae con- tractus, cui dolus caussam dedit, sit inualidus (§. 28.) in contractu vero b. f. illud obseruetur, quod iuri est natu- ralis (§. 36.); quin itaque contractus bonae fidei, cui do- lus caussam dedit, iuri civili directo repugnat, dubito e- go nullus. Iam vero quod iuri civili directo repugnat est ipso iure nullum. Contractus igitur bonae fidei, cui dolus caussam dedit, est ipso iure nullus. Q. e. d.

Circa hanc quaestione magnum olim inter Ultra- montanos & Citramontanos fuisse certamen, illosque con- tractus b. f. si dolus caussam dedit, ipso iure esse validos; hos vero contrariam tuitos esse sententiam, qui historiam a limine saltem salutauerit, fugere potest neminem. Quam- uis autem Ulramontani magno cum adparatu suam de- fendissent sententiam, non iuri modo textibus, quoqsum praecipue spectant l. 12. §. 1. de iure detium, l. 3. C. Comm. vtr.

F 2

iud.

*iud. l. 5. C. de rescind. vend. l. u. §. 5. l. 13. §. 4. §. 5. de act. emt.: verum etiam rationibus subnixi, quas VINNIUS in sel. quaest. c. 12, cum BACH. tr. de act. omni consideratione dignas iudicat; eo tamen Citramontanos commouere non potuerunt, vt iporum adoptent sententiam, suae scilicet sententiae veritate consilios. Ultramontanos sequitur CASP. THEOD. SUMMERMANN in Comm. ad περὶ τὸν δολονόμον §. 7. vbi sequentibus vtitur verbis; *Hactenus a me impetrare non posui, ut crederem iure ciuili propter dolum sine causam dantem negotio sue incidentem contractum ipso iure nullum esse.* Cui quidem sententiae ideo calculum adiici, quod in legibus, quas vulgo adferre solent Dd. fundamentum, quare dolus, qui causam dedit contractui, efficiat, vt contractus bonae fidei ipso iure nullus sit, satis idoneum non reperiiri videatur. Ut igitur constet, de hoc asserto quidnam sit statuendum, adducam istas leges, earumque accuratam tradam interpretationem.*

§. XLI

In l. 7. pr. de dolo malo, l. 16. §. 1. de minoribus l. 3. §. 3. pro socio disponitur, contractum bonae fidei ipso iure esse nullum, si dolus causam dedit contractui. Etenim in l. 7. pr. de dol. mal. occurunt verba, aut nullam esse venditionem, si in hoc ipso, ut venderet circumscriptus est. Hic eiusmodi dolum supponi, iam supra monui, qui rationem in se continet, quare contractus emtionis venditionis fuerit initus. Etenim si dolus, rationem qui initi complectitur contractus hic non intelligi deberet; necessario dolus esset incidens adsumendum, de quo vero quis vñquam praedicaret, quod decipiens in hoc ipso, vt contractus ineat, deceptum circumscrivat (§. 13.)? Dolus igitur causam dans ibidem intelligendus si necesse est. Iam vero de dolo causam dante enunciatur, quod

quod venditionem nullam reddat. Patet itaque, quod in l. 7. pr. de d. disponatur, contractum b.f. esse ipso iure nullum, si dolus caussam dedit contractui.

L. 16. §. 1. de minoribus : Item relatum est apud LABEONEM, si minor circumscriptus societatem coierit, vel etiam donationis caussa, nullam esse societatem nec inter maiores quidem: et ideo cessare partes Praetoris. Idem et Ofilius respondit: satis enim ipso iure munitus est. Hanc legem si adcurate perpendas, statim adparet, ut circumscriptum esse in se continere rationem, quare minor societatem coierit. Dolus qui rationem continet, quare contractus initus est, dicitur caussam dans (§. 13.). Dolus igitur ibidem est ita comparatus, ut contractui caussam dederit. Iam vero in hac lege disponitur eiusmodi contractum esse nullum. Nullitatem vero ex nulla alia caussa, quam ex dolo, adeoque non ex eo, quod ibidem vel etiam donationis caussa habeatur, proficisci, sat manifestum est. Quamvis enim eo, quod ibi donationis caussa fiat mentio, societati substantiale aliquod requisitum deficere videatur; nullitatem tamen ex eo non deriuari exinde patescit, quod ista determinatio aut adiectio nihil conferat ad relationem praedicati istius legis ad subiectum concipiendam. Salvo enim legis sensu auferri potest. Neque ideo societas dicitur nulla, quod minor proponatur coisse societatem; in sequentibus enim additur, idem etiam inter maiores obtinere. Propterea igitur in hac lege societas dicitur esse nulla, quod eidem caussam dedit dolus. Ex hac igitur lege constat contractum b. f. esse ipso iure nullum, quando dolus eidem caussam praebuerit.

L. 3. §. 3. pro socio : Societas si ex dolo male aut

F 3

frau-

fraudandi causa coita sit, ipso iure nullius momenti est: quia fides bona contraria est fraudi et dolo. Eodem prorsus modo, quo antea haec lex explicanda venit Ut que adeo iterum ex ea manifestum sit, contractum b. f. cui dolus causam dedit, esse ipso iure nullum.

Ad has leges & quidem alteram Cel. SYMMERMANN. moneret, in l. 10. § 1. de minoribus nihil aliud haberi, quam quod nulla sit societas, quam aliquis circumscriptus etiam donationis causa iniit: ex inde autem non sequi, societatem nullam esse propter dolum causam dantem contractui, idoneam enim causam non adparere, quare dictum textum praecise de dolo causam dante intelligere debamus, cum ibidem agatur de eo, qui circumscriptus societatem coierat, quod aequae de dolo incidente, ac de dolo causam dante dici potest: & quamvis in d. l. dicatur, minorem circumscriptum in contrahenda societate ipso iure esse tutum & ideo partes Praetoris cessare, id tamen non tam de dolo esse intelligendum, quam quod in causa l. substantiale requisitum societatis defecerit, dum nimis dolu fuit effectum, ut v. g. donationis causa contraheretur societas, vbi deficiente communione lucri, vel danni ceu essentiali societatis requisito laesus ipso iure ciuitus est. Quanta vis sensui istius legis inferarur, sanus interpres quilibet ex faciliter videt. Idem putat esse monendum, atque eadem ratione expeditam esse responcionem ad l. 3. § 3. pro socio. Credat Judeus Apella! Hanc igitur ob causam, ut supra me iam monere memini, reiecit istam doli diuisionem in incidentem & causam contractui dantem. Quo iure? iam conflat. WESENBECIVS Parat. ff. de dolo malo n. 1. contrariam itidem sententiam defendit, atque pro ea stabilienda adducit l. 42. §. 2. de Procurat. l. 6. §. 12. de neg. gesl. l. 16. §. penult de minoribus. Quas modo si evolueris, absque omni omnino ratione huic contrarie sententiae suum addensum praebuifile, illico constabit.

§. XLII.

§. XLII.

Contractus bonae fidei, in quem dolus incidit, in se subsistit. Etenim contractus, in quem dolus incidit, absque isto modo, quem per dolum adcepit, consideratus, seu in se, secundum ius naturae subsistit (§ 28.). Iam vero in contractibus b. f. illud obseruatur, quod est juris naturalis (§. 36.). Contractus igitur bonae fidei, in quem dolus incidit, in se subsistit. Q. e. d.

Equidem hic iterum circulos turbat, acutissimus, quem praedicant, NOODTIUS l. *supra c.* qui semper contractum b. f. adserit, esse nullum, vbi dolus adpareat, nulla habita ratione, dolus an causam dederit, aut incidenter. Quo fundamento nitatur, supra itidem iam occupauit. Ceterum mecum faciunt STRVV. in *Synt. Ex. VIII. tb. 33.* vbi : *Et ob hunc dolum, puta incidentem nec bonae fidei nec sive* ~~et~~ *juris contractus est nullus.* BARGAL. l. c. VENN. l. 1. selecta, quaeſt. c. 12. HEINECCIVS aliique plures.

§. XLIII.

Contractum b. f. in quem dolus incidit, in se subsistere haud difficulter configitur ex l. 13. §. 4. de act. emt. vend. Verba legis sunt: *si venditor dolo fecerit,* ut rem pluris renderet, puta de artificio mentitus est, aut de peculio, emi eum iudicio teneri, ut praefaret entori, quanto pluris seruum emisset, si ita peculiatus, vel eo artificio instructus esset. Quum hic dolus venditoris efficerit, vt contractus cum adceperit modum, quod seruum ob artificium, quod venditor mentitus erat, pluris emeret deceptus; haud abs re, iam supra indicavi, dolum hic adesse incidentem. Ex ipsa lege autem manifestum est, contractum, dum deceptus seruum tantum supponit, siue ille artificium aut peculium habeat, siue non,

non, in se consideratum non esse nullum, sed actione ex contractu eatenus tantum experiri deceptum posse, quatenus eius intersit quoad hunc modum non esse deceptum. Emtio venditio igitur serui absque artificio considerati in se subsistit. Atque adeo ex hac lege non obscurum est ad intelligendum, contractum bonae fidei, si dolus fuerit incidens, in se subsistere.

D. D. qui a mea stant parte, ad firmandam adstriccam propositionem plures adducere solent leges. Verum de plerisque quum adhuc sub iudice lis sit, num dolus ibidem supponatur incidens, an vero caussam dans contractui; ab his heic merito abstineo. Sufficit demonstrasse ex principiis, ipso ex iure civili oratis, contractus b. f. in se subsistere, si dolus incidit, atque deinde ostendisse ex ipsis legibus, illud iuri civili non repugnare. Probe autem tenendum est, non semper dolus intelligi debere incidentem, si contractus dolosus actione ex contractu emendari posse dicitur. Nullitatis effectus enim sese non exferere aduersus deceptum, quippe in cuius fauorem illud obtinet, verum aduersus decipientem, certum est, quam quod certissimum. Quamuis igitur contractus ipso iure sit nullus; deceptus tamen eligere potest, vtrum contractum nullum dicere, an vero eundem ratum habere, atque actione ex contractu ad dolum purgandum agere velit. BRVNN. ad l. 7. de dol. m. n. 3. & l. 5. C. de resc. vend. n. 47. HARPRECHT ad d. §. 28. J. de act. n. 87. ZAESIUS Com. ad ff. de dolo n. 9.

§. XLIV.

Contractus b. f. eatenus est ipso iure nullus, si dolus inciderit, quatenus per dolum determinatum atque specialem hunc adcepit modum. Etenim contractus, in quem dolus incidit, eatenus est secundum ius naturae invalidus, quatenus hunc adceperit specialem et determinatum

natum modum (§. 28.). Contractus bonae fidei ita sunt comparati, ut in iis spectetur, quod iuris est naturalis (§. 36.). Extra omnem igitur dubitationis aleam est possum, contractum b. f. eatenus subsistere, quatenus per dolum incidentem hunc adcepit modum, iuri civili directo repugnare. Quocunque eidem directo repugnat, est ipso iure nullum. Patet igitur veritas propositionis demonstrandae. Q. e. d.

Quod si termino, apud Scholasticos visitato, exprimere vellem; propositio ita esset enuncianda: in contractu b. f. in quem dolus incidit, subiectum quo seu immediatum est ipso iure nullum; quum e contrario subiectum quod subsistat. Subiectum enim quod esse dicunt, ens totum, cui inest aliquid mediante altero; Subiectum vero quo, est pars ista, cui immediate ac formaliter aliquid inest, & quo mediante alii cuiquam competit quoque. Ad ipsam autem quod adtinet demonstratam propositionem, fateor, me omni tam legum quam J. C. torum expressa destitui auctoritate. Quid? quod contrarium in legibus adstrui videri posset, dum in l. 13. §. 4 de act. emt. non dicatur contractum, si dolus incidit, aliquatenus tantum esse inuidum, sed actione ex contractu dolum esse purgandum. Verum in l. c. nihil aliud disponitur, quam quod actionem ex contractu instituere possit, non autem eo ipso affirmatur, quod eam instituere debeat, atque nullum aliud ipsi superfit remedium. Quare quomodo querela nullitatis ideo excludi debeat, non video. Iam ad §. praec. ostendi, arbitrio decepti, si negotium celebratum posset pro nullo declarari, nihilominus esse relictum, num eo uti velit remedio, an vero, aliud eligere velit, quod ei forsan competit. Nullum autem propositionis veritas exinde capit detrimentum, quod nihil expressi in legibus, ut puto, inueniri possit. Sufficit, eam esse deductam ex principiis

G

ex

ex iure civili desuntis, quibuscum induculo nexus cohaeret, arque ostenditse, in legibus non esse, quod ei expresse contradicat. Interea, quod a ICtorum idem illud statuentium inopem me ac prosum destitutum videam, contra pulueris factum perfere possum. Forsan de hac re nulli adhuc cogitarunt, arque adeo primus sum, qui haec tradidit propositionem, eamque demonstrauit. Ex hanc denique deductis adaptar, propositiones, quod contractus b. f. sit nullus, si causam dedit dolus: certo modo vero si dolus incidit, esse articulos iuris mixtos. Quantum autem expedit nosse in iure, quinam sint articuli iuris mixti, qui vero puri, vberius in *dissert. epistol. ad Consult. Dn. PRAES. de ICto theologos invitante explicatum dedi.*

§. XLV.

Negotium quod ipso iure nullum est, nullum habet effectum. Sit enim, quod negotium, quod ipso iure nullum est, aliquem habeat effectum, et protinus constat, negotium non esse ipso iure nullum. Ipso enim iure nullum dicitur quod directo ac statim iuri civili repugnat; quod legibus ita repugnat est moraliter impossibile, consequenter moraliter nihilum. Nam vero quum nihili nulla dentur praedicata positiva (per pr. Ontol.); nullum de negotio ipso iure nullo formari potest praedicatum positivum, neque igitur quod habeat effectum. Non igitur negotium ipso iure est nullum, si praedicetur aliquem habere effectum. Quod quum hypothesin carent; est absurdum. Et verum est, quod negotium ipso iure nullum habeat effectum. Q. e. d.

§. LXVI.

Effectu igitur destituitur contractus b. f. si ei dolus causam dedit; si dolus in eum incidat eatenac quidem effectum

De doli incidentis et caussam dantis &c. 51

effectum habet quatenus in se consideretur contractus: non autem eatenus, quatenus hunc determinatum atque specialem per dolum adcepit modum (§. 39. 41. 43. 44.).

§. XLVII.

Atque quum iuramentum si actui non obligatorio superadcedat, eum in obligatorium conuertere nequeat (§. 904. Part. III. Iur. nat.); liquidum satis est, iuramentum secundum ius civile adcedens contractui bo- nae fidei, cui dolus caussam dedit, eum reddere non posse validum (§. 44.). l. 7. §. 16. de pactis. l. 112. de leg. l. 1. 5. C. de legibus.

Multa adhuc specialiora possem ex hisce stabilitis principiis deducere, et campum, in quem excurrere possem, adhuc haberem latissimum. Verum quum pleraque, quae adhuc adducere possem, ita sint comparata, ut ex adductis ex facili possint a qualibet intelligi; iam huic dissertationi colophonem imponere animus est. Ne vero, quis putet, ea, quae demonstravi de contractibus b. f. praxi ho- dierna nullam conciliare utilitatem, antea adhuc moneo, apud nos contractus si non omnes, saltem plerosque bo- nae fidei esse quod igitur de iis demonstratum de- di, non potest non apud nos usum habe- re praesentissimum.

TANTVM.

G 2

PRAE-

PRAENOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO
DN. RESPONDENTI

S. P. D.

P R A E S E S .

R idere soleo, quoties audio, Matheos et Philosophiae studium a iuris cultoribus negligit, vel etiam alios, quorum consilii in studiorum directione vitantur, ab his studiis a uocare eos, ideo; quoniam iuris studium tam prolixum, ut tempus non permittat, in has descendere ambages. Et quidni riderem? Hi enim, qui ita rationes suas subducunt, qui hoc colore obducunt pestinum, quod suppeditant, consilium, sunt tales; qui, dum quaerunt viam breuem, ingreduntur longissimam; qui in ambages trudant eos, quos docere volunt, quo modo sunt eritandae. Si enim per Matheos studium mirifice promouetur intellectus cultura; si principiorum maxime universitatem, quae in Philosophia docentur, cognitione, ad faciliorem et magis distinctam particularium magis veritatum, quales sunt iuridicae, cognitionem multum conductit: tantum abest, ut in ambages descendant qui barum scientiarum cognitionem acquirere student, ut potius, si animus his scientiis imbutus, maximos, maxima voluptate, maximo temporis compendio, in studio iuridico possint facere progressus. Sed quid opus est verbis, ubi adjunt rerum testimonia! Ad TE, doctissime Dn. Respondens, tuto provocare possum, quando a posteriori, ut loquimur in schola, veritas, quam defendo, probanda. TV enim, quoniam cum Iurisprudentiae studio, studium Matheos et Philosophiae coniunxit, in breui tempore, triennio puta, magnos in effectu progressus; quos fecisses nunquam, nisi haec neglexisses studia. Quod vero TV in Iuris-

Parisprudentia prosectorum sunt magni, patet ex hoc TVO, quod eruditorum examini subiectis, specimen iuridico. Eo magis vero ex eo hoc patet, quo certius, TE solum esse eius auctorem, meque nec addidisse, nec detraxisse, nec mutasse quidquam. Gratulor itaque TIBI de felici studiorum TVORVM successu; prout et mibi gratulor, quod primus, quem tanquam Praeses in cathedram duco, sit talis, qua philosophica iuris cognitione instructus, quique mibi cognationis vinculo iunctus. Vale. Dabam in Fridericana d. X. Jun.
clo Icc XXXIV.

CLARISSIMO PRAENOBILISSIMO
ATQUE DOCTISSIMO
DOMINO AVCTORI
ET RESPONDENTI

S. P. D.

GVST. BERNH. BECMANNVS

OPPON.


Si quanto praeclariora culturis in rem litterariam profant merita, tanto plus laudis et praecontorum idem ille iure suo videtur exigere: quin eo magis suspiciendi sint, qui methodum naturalem ad iusti iniustique scientiam applicare co-

natur, quo magis in confessio est, eamdem et in diuidando et in inueniendo vero utramque facere paginami, equidem dubito plane nullus. At enim sicuti, quod vulgo aiunt, non cuiusvis est adire corinthum; ita neque dissimilandum est, longe plures vestrum huncce, ubi virtus et parta vigiliis condendi veri nominis systematis dexteritas excurrere potest, ingressos esse quam emensos laudis campum. Cuius quidem rei ratio non ex alto erit repetenda, quum in aprico sit, plurimos quid sibi velint demonstratur ius non ignorare tantum cum ignarissimis, sed praeconcepta quoque opinione ductos, eum demum officii sui rite explorare partes existimare, qui leges ciuiles earumque rationes ex intimis iuris naturalis penetratibus eruere, earumque, non secus ac veritatum geometricarum, absolutam euincere necessitatem nouerit. Si igitur error non adeo steriles est villus, quin plures alios gignat sui similes; mirum sane videri non potest, horum reformatorum studio infelici deberi iurisprudentiam a mente legislatorum et usu fori longe alienam, quaeque sannis excepta cordatioribus non potest non esse offendiculo. Hinc illae lacrumae, demonstrando ius atque in ordinem redigendo peruersti idem illud, atque inventosam degenerare charletaneriam querentium. Quibus quidem incommodis ex mea sententia nemo erit obviatum eundo, nisi qui ius demonstrare idem esse atque ex definitionibus ex mente legislatorum rite formatis et assumitis hypothesibus nemum legum in iure ciuili obviarum inter se ostendere perspectum probe exploratumque habens, cum studio non vulgari iuris naturae, ciuitatis atque antiquitatum genuinae methodi cognitionem exasciatam ex logicis praeceptis haustam natamque, addiscendis vero mathematicis disciplinis ad maturitatem masculam

perductam

perductam coniunxerit. Quae quum ira sint; non possum non
TIBI gratulari de praeclaro boce TVO quod iam foras das,
specimine, quo quid agendum sit iurisprudentiam informam artis
redacturo non tam verbis, quam re potius ipsa docuiſt. Suppo-
nis quippe et fundamenti loco sternis ius naturae, eiusque sci-
torum consensum cum iure ciuili, quoad eius fieri potest, luculen-
tissime ob oculos ponis, id quod tota de dolo eiusque natura, quanta
quanta est, tractatio ostendit. Vbi vero, ut cum VLPIANO l. 6. pr. ff.
de iust. et iure loquar, ius ciuile naturali non per omnia seruire,
sed ei vel addere aliquid vel detrahere animaduertis; definitiones
entium moralium menti legislatorum conformes pro ea quae TIBI
est antiquitatum et legum romanarum notitia condis, atque inde
demonstrativa ratione praedicata eorumdem elicis, quod vel sola
tractatio de contractibus stricti iuris et bonae fidei manifestum
redit. Atque in his omnibus adeo methodi es tenax, ut TE
non hospitem in mathematicis, sed sacris eorumdem penitus innuiri-
sum et initiatum ipso opere ostenderis. Maclæ ergo bac TVA
praeclara virtute! maclæ hoc inuidendo ingenii TVI ad optimam
quaenam natiuxta et formati ausu! Ego interea DEVVM T. O.M.
supplex veneror, ut TE in commodium litterariorum orbes, quem abs
TE nonnisi præclara et omnibus absoluta numeris exspectare iu-
deo, ei gaudium Clarissimæ Gentis TVAE seruet sartum testum-
que; cuius quidem voti vbi compas ero factus, TV TVO me
fauori commendatum habebis. Vale. Halae Magdeb. d. X. Jun.

MD CC XXXXIII.



1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100
101
102
103
104
105
106
107
108
109
110
111
112
113
114
115
116
117
118
119
120
121
122
123
124
125
126
127
128
129
130
131
132
133
134
135
136
137
138
139
140
141
142
143
144
145
146
147
148
149
150
151
152
153
154
155
156
157
158
159
160
161
162
163
164
165
166
167
168
169
170
171
172
173
174
175
176
177
178
179
180
181
182
183
184
185
186
187
188
189
190
191
192
193
194
195
196
197
198
199
200
201
202
203
204
205
206
207
208
209
210
211
212
213
214
215
216
217
218
219
220
221
222
223
224
225
226
227
228
229
230
231
232
233
234
235
236
237
238
239
240
241
242
243
244
245
246
247
248
249
250
251
252
253
254
255
256
257
258
259
259
260
261
262
263
264
265
266
267
268
269
270
271
272
273
274
275
276
277
278
279
280
281
282
283
284
285
286
287
288
289
290
291
292
293
294
295
296
297
298
299
300
301
302
303
304
305
306
307
308
309
310
311
312
313
314
315
316
317
318
319
320
321
322
323
324
325
326
327
328
329
330
331
332
333
334
335
336
337
338
339
339
340
341
342
343
344
345
346
347
348
349
349
350
351
352
353
354
355
356
357
358
359
359
360
361
362
363
364
365
366
367
368
369
369
370
371
372
373
374
375
376
377
378
379
379
380
381
382
383
384
385
386
387
388
389
389
390
391
392
393
394
395
396
397
398
399
399
400
401
402
403
404
405
406
407
408
409
409
410
411
412
413
414
415
416
417
418
419
419
420
421
422
423
424
425
426
427
428
429
429
430
431
432
433
434
435
436
437
438
439
439
440
441
442
443
444
445
446
447
448
449
449
450
451
452
453
454
455
456
457
458
459
459
460
461
462
463
464
465
466
467
468
469
469
470
471
472
473
474
475
476
477
478
479
479
480
481
482
483
484
485
486
487
488
489
489
490
491
492
493
494
495
496
497
498
499
499
500
501
502
503
504
505
506
507
508
509
509
510
511
512
513
514
515
516
517
518
519
519
520
521
522
523
524
525
526
527
528
529
529
530
531
532
533
534
535
536
537
538
539
539
540
541
542
543
544
545
546
547
548
549
549
550
551
552
553
554
555
556
557
558
559
559
560
561
562
563
564
565
566
567
568
569
569
570
571
572
573
574
575
576
577
578
579
579
580
581
582
583
584
585
586
587
588
589
589
590
591
592
593
594
595
596
597
598
599
599
600
601
602
603
604
605
606
607
608
609
609
610
611
612
613
614
615
616
617
618
619
619
620
621
622
623
624
625
626
627
628
629
629
630
631
632
633
634
635
636
637
638
639
639
640
641
642
643
644
645
646
647
648
649
649
650
651
652
653
654
655
656
657
658
659
659
660
661
662
663
664
665
666
667
668
669
669
670
671
672
673
674
675
676
677
678
679
679
680
681
682
683
684
685
686
687
688
689
689
690
691
692
693
694
695
696
697
698
699
699
700
701
702
703
704
705
706
707
708
709
709
710
711
712
713
714
715
716
717
718
719
719
720
721
722
723
724
725
726
727
728
729
729
730
731
732
733
734
735
736
737
738
739
739
740
741
742
743
744
745
746
747
748
749
749
750
751
752
753
754
755
756
757
758
759
759
760
761
762
763
764
765
766
767
768
769
769
770
771
772
773
774
775
776
777
778
779
779
780
781
782
783
784
785
786
787
788
789
789
790
791
792
793
794
795
796
797
798
799
799
800
801
802
803
804
805
806
807
808
809
809
810
811
812
813
814
815
816
817
818
819
819
820
821
822
823
824
825
826
827
828
829
829
830
831
832
833
834
835
836
837
838
839
839
840
841
842
843
844
845
846
847
848
849
849
850
851
852
853
854
855
856
857
858
859
859
860
861
862
863
864
865
866
867
868
869
869
870
871
872
873
874
875
876
877
878
879
879
880
881
882
883
884
885
886
887
888
889
889
890
891
892
893
894
895
896
897
898
899
899
900
901
902
903
904
905
906
907
908
909
909
910
911
912
913
914
915
916
917
918
919
919
920
921
922
923
924
925
926
927
928
929
929
930
931
932
933
934
935
936
937
938
939
939
940
941
942
943
944
945
946
947
948
949
949
950
951
952
953
954
955
956
957
958
959
959
960
961
962
963
964
965
966
967
968
969
969
970
971
972
973
974
975
976
977
978
979
979
980
981
982
983
984
985
986
987
988
989
989
990
991
992
993
994
995
996
997
998
999
999
1000

Halle, Diss, 1744



3
Sb.

B.I.G.

Farbkarte #13



18

Pr. 13. num. 3.
1744 ge 20
~~224~~

DISSERTATIO IVRIDICA

DE

DOLI INCIDENTIS ET CAVSSAM
DANTIS IN CONTRACTIBVS
EFFECTV

203/

QVAM

PRAESIDE

DANIELE NETTELBLADT

J. V. D.

ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIT

AVCTOR

IOAN. HARTW. REVTER

MEGAPOLITANVS.

AD DIEM IVN. MDCCXLIV.

HALAE MAGDEBVRGICAE

TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.

